



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>
Bonaventura <Heiliger>**

Antverpiæ, 1591

De quatuor vtilitatibus castitatis. Cap. LIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

libidinem resoluuntur. Sic etiam econuerso, ventris exinanitio humorem luxurię arefacit; sicut cum fons obturatur, riuulus ex eo profluens desiccatur. Vnde pro generali regula ab omnibus spiritualibus hactenus obseruatum est: Qui castus esse desiderat, studeat sobrietati: quia sine ea non diu castitas est secunda, & cum proficiente proficit, & cum decresecente decrescit: licet quidam sine ea modò sibi melius aliud nescio qua præsumptione promittant. Omnis laus in fine canitur. Nec credo tot & tantos virtutum inquisitores, qui prædictam secuti sunt regulam, in sua æstimatione deceptos. Vnusquisque enim in sua arte sapiens est. Et studiosi virtutum sunt in earum exercitiis sapientes. Studiosi verò deliciarum & diuitiarum secularium, efficiuntur in earum provisione prudētes. Luc. Filij seculi huius prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Castitas est virtus origine cælestis. Hanc ipsi Angeli sancti ab ipso Domino omnium virtutum fontali principio primitus didicerunt, & indeclinabiliter seruauerunt. Hanc summus & vnus magister noster, qui in cælis Angelorum magister est Christus Dominus noster, de cælesti schola ad terras, publicè docendo attulit, & matrem suam gloriosam virginem perfectam & primam post se huius disciplinae magistratam, in cathedra virginalis mundicię cæteris mirandam & imitandam præfecit.

Sine sobrietate nemo castus.

Luc. 16.

Castitas virtus cælestis.

De quatuor utilitatibus castitatis.

CAP. LIII.

CASTITAS quatuor facit in præsentia. Corpus mundificat; sicut è contrario luxuria inquinat. ita vt si non esset alia merces castitatis quàm præsens mundicia, nec aliud

LEX.

luxuriæ supplicium nisi eius fœditas, castitatis honestas esset amplectenda, & turpido luxuriæ horrenda. Item mentem liberam facit & expeditam: quia nec pro vxoris prouisione; nec pro filiorum educatione sollicitum reddit; nec affectus dilectionis ad coniugem & ad filios ligat; nec spiritus zelotypiæ castum exagitat; nec sollicitus est quomodo vxori placeat, vel qualiter hæredes diuites faciat; nec quærit generos vel nurus; nec est seruus affinium suorum, soli sibi viuens, & pro se solo sollicitus est, in seipso quiescens. Multa sunt de quibus oportet coniugio ligatos esse sollicitos, ita quòd illa carnis delectatio, nullo modo est eis tam iucunda, quàm anxietas variarum curarum quas patiuntur onerosa; quas Apostolus tribulationem carnis appellat. Vnde idem Apostolus ad Corinthios: Volo vos sine sollicitudine esse, &c. Item conscientiam lætificat: quia gratum Deo præstat obsequium, qui carnis dulcedinem respuit, quam mundus pro magno concupiscit. Lætificat autem, quia Deo placet, Deum placat, & Deo proximate facit; & Dei offensam cauet in delectatione carnali, & præmium cælestis meretur, & Deum auctorem munditiæ per castitatem imitando sequitur, cum sit gloria magna sequi Dominum, qui nos præcessit in munditia castitatis, virgo virginis filius, virginum sponsus. Item tam hominibus quàm Angelis amabilem facit & spectabilem. Hominibus, quia tam boni quàm mali venerantur eam: Angelis, quia cum naturaliter omne animal diligit simile sibi, etiam Angeli casti, homines castos familiariter diligunt.

f. Cor. 7. 28

De